





1. Pris  
2. Pris  
3. Pris  
4. Pris  
5. Pris  
6. Pris  
7. Pris  
8. Pris  
9. Pris  
10. Pris  
11. Pris  
12. Pris  
13. Pris  
14. Pris  
15. Pris  
16. Pris  
17. Pris





Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

15  
INDIGESTIONIBUS

QUAM

SUMMI NUMINIS AUSPICIO

ET

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU

PRO LICENTIA

GRADUM, HONORES ET PRIVILEGIA

MEDICINÆ DOCTORIS

RITE IMPETRANDI

SOLENNITER DEFENDET

JACOBUS ROUSSEL

AUSSONNENSIS, IN DUCATU BURGUNDIÆ.

DIE VII. MAJI MDCCLXXIX.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS HENRICI HEITZII Univerſitatis Typographi.






DEO,  
PATRIÆ,  
ET  
PATRI OPTIMO  
SACRUM.







DE  
INDIGESTIONIBUS.

PROÆMIUM.



omentosam, sed summe arduam indigestionum materiem explicare cum decreverim, prius veras concoctionis ciborum causas seponere a falsis operæ pretium duxi; tunc enim fiet ut quæ in digestionem cadere videbantur causæ, in illius vitia refundendo, clarior sive naturæ virium, sive læsarum ejus functionum idea habeatur.

Digestio igitur, seu, quod idem est, alimentorum in grissam pulvem reductio per conjunctas ventriculi & organorum eo collimantium vires, pro causis has unice mihi videtur agnoscere.

1<sup>o</sup> Triturationem: quam porro eo sensu non intelligimus, ut tantis instructa sit viribus, quantas assumpsit cum

A



Erasistrato Pitcarnius, ille triturationis fautorum prolis numerosæ parens. Fit tamen per motum peristalticum ventriculi, per focias diaphragmatis & muscutorum abdominalium vires tritus aliquis ciborum; qui, levis licet, quoniam tot vicibus repetitus, quamdam, ut in lavigatione, ciborum solutionem mechanicam exercere debet. Gutta cavat cotem, quamvis durissimam, sæpe cadendo.

2<sup>o</sup> Solventium liquidorum vim plurimam: quo referas salivam, succum gastricum, mucum e cryptis oris, faucium, cesophagi & ventriculi numerosis erumpentem; quin ipsam bilem sæpe, vacuo stomacho, refluat, si non adfit in nimia quantitate. Hæc omnia cum divisis cuiuscunque naturæ alimentis paulatim commixta, digerendo, macerando, discerpando, hanc aliam solutionis speciem constituunt quam nos immersivam in chemicis appellamus. Possunt autem commolitis quibuscunque cibis commisceri, quoniam horum liquorum aqua variis menstruis foeta nullum potest per appropriationem respuere.

3<sup>o</sup> Calorem, qui in interaneis major adhuc, neque ullibi forsân quam in ventriculo potentior, liquida commolitis interferit, alimenta macerat, aerem extricat, cibarias particulas diffociat a particulis, ita ut fluidiores explicando, duriores intactas relinquat. Hanc *peffim* seu coctionem, quam post GALENUM adoptavere innumeri, ea sub idea non assumimus sub qua quidam ventriculum ut lebetem & ambientia viscera tanquam carbones habent: sed hunc calorem eo validius in cibos agere existimamus, quo extricatus aër & pyloro & cardia coercitus, solutionis colliquativæ motum adjuvat. In vasis clausis potentius quam in apertis solutionem succedere papiniana machina confirmat.

Atqui sufficiunt hæc omnia coquendis alimentis & in pulvem griseam reducendis; neque ipsam qualemcunque fermentationem in statu sano admittimus. Quare autem



hanc opinionem HIPPOCRATI male adscriptam & multis cum veterum tum recentiorum medicis acceptam respuamus, dicere statim e re iuverit: & vero mirum quam labili rationum fundamento superstruatur tota fermentationis affeclarum theoria. Illam etenim ideo fieri asseverant, tum quia sufficientem tritum exercere nequit stomachus, tum quia tritus quantuslibet ad explendum digestionis negotium impar est; ac proinde juxta illorum mentem fermentationis ope indiget natura, ut munus suum adimpleat. Hæc porro asserta diluamus. Etsi enim non is sum qui tritus potentiam in ventriculo ad Pitcarnii numerum eveham aut Borelli; quanta tamen æstimari poterit, si adjunctas diaphragmatis & muscutorum abdominalium vires jungamus! ut illam brachio cuiusdam corporis in vesica clausi tritum peragenti comparare ad minimum possimus. Si autem talis tritus fiat in vesica, quid igitur accidet in ventriculo, ubi menstrua per se jam valide operantia adhuc caloris ope adjuvantur?

Quod cum viderent fermentationis patroni, aliud argumentum quæsierunt, tritum nempe nequaquam sufficere. Quasi vero emulsio amygdalarum, solo parata tritum, esset resorberi impar? aut non esset ipsa pulve grisea subtilior in quam ante duodeni ingressum, alimenta resoluntur? . . . Verum, ajunt, fit nova particularum combinatio post dissociationem molis cibariæ peractam; exurgit a digestionem corpus quoddam homogeneum, a corporibus, quæ materiem præbuere, diversum: quod fieri nequit absque fermentatione: quid enim aliud est productum fermentationis? . . . Bone Deus! quotidie miscendo mucilaginem & saccharum cum aqua, exurgit novum corpus diversum a prioribus unde constituitur: illud corpus est visui homogeneum; an fermentationis opus? ut in digestore Papini, ita & in stomacho nonnisi separantur ab insolubilibus moleculæ physicæ solubiles; & duriores



vix mutata sub fecum forma eliminantur. Quoad priores, illæ eliquantur ita, ut immisceantur omnes omnibus absque vel minimo tumultu: hinc non oriuntur bella inter proxima corporum principia, mixtio manet eadem, & aggregatio solummodo dissolvitur: quomodo igitur supponi potest fermentatio?

Ast orietur forsan, juxta ipsius patronos, post eliquationem peractam? tunc diluta humoribus principia salina adoriuntur olea, & nascitur motus ille intestinus a quo resolutæ integrantes moleculæ novas compositiones subeunt. Paucis adhuc respondeo. Primum, cui bono? eliquatæ particulae a primis viis transire possunt ad secundas. Dein, præsens fermentatio suis tum se proderet qualitatibus: quare autem grisea puls neque vinosum, neque acidum, neque putridum in bona digestionem spirat odorem? aut causa probatur effectu; aut si non adsit effectus, quare ad causæ existentiam concludimus?

Quæ cum ita sint; cum soli tritui, menstruis & calori debeatur ciborum concoctio; illud sane optandum esset ut hæ tres potentia illius perfectioni semper incumbere simultaneo consensu, ne unquam hæc functio toti œconomia animalis prospiciens ullatenus læderetur. Cum autem lædatur multoties, & læsiones in melius mutare medici sit officium; eas statim perpendemus, ut non cæco artis exercitio, quod usitatissimum, sed castis rationis & scientiæ principiis possit illis mederi quivis proxim exercitatus.

Quapropter hanc differendi normam tenebimus. De indigestionibus in genere sermo fiet in altera parte hujus dissertationis, & de indigestionibus in specie fiet mentio in altera. Si nihil adsit in isto opusculo novi, quid interest ægrotantium, modo adsit nitida symptomatum expositio, qua morbus a morbo, species a specie distingui possit, & consequenter rite tractari. Morbi vetustatem



novò dicendorum ordine redimere, & rerum instabilitatem magistra rerum experientia stabilire conabimur.

---

SECTIO PRIMA.

DE INDIGESTIONIBUS IN GENERE.

§. I.

Quando alimenta erumpunt e ventriculo, nondum soluta fati ut in pulvem griseam abeant visui homogeneam; vel etiam quando nimium soluta non vertuntur in pulvem subdulcem, sed e contra sapore evidenti conspiciam *a*); tunc concoctio non rite peracta fuisse dicitur. Quamobrem sub indigestionis nomine intelligi debet quaecunque nimia vel nimis parca solutio ciborum in ventriculo. Cavillaretur quispiam, qui deglutitos lapillos in ventriculo minime solutos indigestionem appellaret. Nemini hucusque cibus fuere lapilli. Subtiliori vel graviori responso indigeret quisquis indigestionem appellaret nimiam fluidorum ingurgitationem ex qua vomitus exurgeret. Stomachi non est coquere fluida; verum ad secundas vias attinet assimilare illa humoribus inquilinis, aut qua data porta e corporis societate disturbare.

§. II.

Ut demus aliquid immoderato scientiae pruritu, quae fuerit veterum sententia circa morbum nostrum proferamus. Itaque, si monumentis fides, morbum nostrum in quatuor classes redegerant. Prima classis comprehendit illam indigestionis speciem sub qua concoctio plane non

---

*a*) Omitto hic alimenta quae sapore suo evidenti non chylum dumtaxat, verum etiam alios humores inficiunt; ut alliam &c.



peragitur. Hæc appellatur ab ipsis *a-pepsia*. In secunda, quam assignant, classe digeruntur quidem alimenta, sed difficulter: Hæc *dyspepsia* nomine insigniebatur. Sistebat tertia classis assumpta, rite digesta quidem, sed lente, tarde, longo temporis intervallo: hæc læsio ipsis *brady-pepsia* nomine veniebat. *Dyaphtoram* denique vocabant illam qua vigente cibi in pulvem male olidam conversi, saporem ingratum præ se ferebant. Existimaverit forsitan aliquis nimium fuisse *bradypepsiam* morbum nominasse; & cum non eadem sit omnibus in ambulando, in cogitando celeritas, neque tamen morbosa sit ullibi, si legibus naturæ respondeat; sic contendet lentorem in digestionem non posse satius morbum appellari, modo functio rite exerccatur. Verum iste novus concoctionis lentor in eodem subiecto cum coctione paulo antea multo celerius facta collatus merito status morbosus iudicatur: quid enim est morbus? —

Quodsi momentosam, nostris præsertim temporibus, assignatorum supra terminorum etymologiam nobis condonare velint eruditi, in doni gratiam hoc profitebimur illas denominationes a græcis ad latinos, a latinis ad arabes, ab arabibus ad nos intaminatas defluxisse: siquidem eis adhucdum uti neotericis visum est. Voluerunt tamen quidam hodierni rem simplicius explanare, atque omnes indigestionis species ad duplex genus revocaverunt, quarum indigestiones frigidas continet alterum, alterum vero calidas complectitur. Utrum vero digestionum vitia intellexerint melius, & intellecta potiori nomine donaverint, paucis videamus.

### §. III.

Sub indigestionis frigida termino venit ipsis concoctio quæcunque in qua alimenta nequaquam fuerunt rite



attenuata ante suam per pylori angustias detractionem. Quod tamen si per vehementiorem saltationis vel equitationis motum aut immoderatam repletionem acciderit, quorsum poteris stomachi frigus nimium accrescere?

Par est ratio quoad indigestiones calidas, quarum ope nimiam fieri ciborum solutionem contendunt, & propter fervidiorem caloris gradum in ventriculo. Hæc opinio circa alimenta calide assumpta nos in errores plurimos pariter abstraheret. Præterquam quod morborum causas cum ipsorum essentia confundere in hoc casu talis terminologia videatur. Itaque ad definitionem nostram revertamur utpote simpliciorem; quæ assignatas a veteribus species complectendo, vitia digestionum opposita videtur modo naturæ magis consentaneo exprimere.

## §. 4.

Hæc autem nimis vel multa vel exigua alimentorum solutio multiplices causas agnoscit, alias ex aliis derivandas; quæ continuo rimabimur. Ac primo quidem ipsa concoctio ciborum nimis exigua fit vel vitio organorum aut liquorum concoctioni destinatorum, vel etiam alimentorum: quæ vitia seorsim agere possunt aut varia ratione consociari.

Eo potest emarcuisse fibrarum ventriculi robur & irritabilitas, potibus theiformibus, tristitia, desuetudine, totius corporis debilitate morbosa, senectute, vel etiam particulari musculosorum ejus villorum resolutione, ut infirmus sit ejus motus peristalticus, vel nullus. Quis exinde requisitam alimentorum triturationem & ex trituratione solutionem expectaverit?

Huc etiam referre liceat vitia organica stomacho in hærentia, qualia sunt tubercula, calli, ulcera, scirrhi, foramina, puncta gangrænosa, membranarum extenuatio,



vel & obstipatio, plicarum abolitio integra & mollior  
structuræ laxitas: quæ omnia in medicorum monumentis  
observata consignantur.

Alias fit ut constitutæ juxta naturam ventriculi fibræ,  
propter plurimam sanguinis jacturam non irrorentur suffi-  
cienti liquorum digestioni necessariorum copia: ut accidit  
quandoque vulneratis, abortientibus, &c. vel etiam cæ-  
liaca nimio turgida sanguine aut humoribus hæterogeneis  
inquinata, succo gastrico exitum ad stomachi interanea  
præcludat; quemadmodum plethoricis evenit & recens  
prægnantibus. Illud quoque contingit ut robustæ nimis  
& suis terrestribus particulis nimium approximata vix ul-  
lam cujusvis liquoris secretionem patiantur. In cœnopotis  
res eximie patet, præcipue apud populos illos septentrio-  
nales quorum ventriculus largiori potuum spirituosorum  
haustu induratur. Quis porro talium succorum copiam ali-  
mentorum coctioni necessariam negaverit?

Non alius rerum successus si his rite se habentibus  
alimenta naturæ indigestibilis aut vix masticata neque suf-  
ficienti salivæ quantitate diluta deglutuntur; vel etiam  
quantitate nimia, aut ejusmodi tandem quæ post certum  
temporis lapsum spissiores relinquunt post se quisquillas,  
quibus stomachus ægre confarcinatus, novo fit oneri fe-  
rendo impar. Sic nova indigestionum causa sobolescit.

§. V.

Verum non hospitantur solo in stomacho indigestio-  
num causæ, sed plurimæ extra illum longe lateque va-  
gantur. Et vero dum videbatur ille segnissimus in officio, ne-  
que cibis sat dissolvendis aptus, quoties in omento, he-  
pate, liene, pancreate, intestinis, utero, renibus, arti-  
culis ipsa præva concoctionis causa federe visa est! omen-  
tum infantum pinguitudine nimia plus justo ponderosum  
ad



ad pelvim usque ventriculum abstrahendo; hepar infarctum pariter pure, scirrhum, tuberculis, hydatidibus, tabo gangrenoso refertum, ingens, comprimendo illum, vel adhærendo huncque quaquaversum distrahendo; lien durus, marcidus, premendo circa cardiam; vel & putrefactus & parietes ejus tetra mephiti inficiendo; pancreas adeo vicinum, renes, intestina, mesenterium, his quæ de hepate retulimus malis lacessita, tum prædictis rationibus tum doloribus sympathicis & irregulari spasmò excitationis nocendo, non raro, si scriptis fides, omnia medicorum digestionum prospicientium conamina eluserunt.

Quidquod pectus & ipsum caput bonæ concoctioni obesse posse condonabunt facile illi, qui ægrotos phthisi pulmonali aut cephalæa vel capitis vulneribus laborantes viderunt, tantum alit commercium cum cæteris corporis partibus ventriculus, ut qui nutrit omnes, ab omnibus vicissim lædi possit & adjuvari.

Cruditates aliquando procreat merus ciborum horror.

#### §. VI.

Qua autem ratione fit, ut solvantur quandoque nimium alimenta, licet supradictis de causis non videantur plus justo posse resolvi? Rationem afferam statim, hinc quæ patebit suas etiam inesse causas alimentorum solutioni extramodum provectæ.

Causa generalis hujusce indigestionis nulla alia assignari potest præter fermentationem, quæ sese exhibet in hac occasione sensibus, manifestam, atque hinc cum ratione culpari potest.

Negant quidem multi nullam in corpore fermentationem obtinere posse, quia motus quivis in corpore motui fermentationis opponitur. Verum quidquid contra jactent ipsius adversarii, demonstrat non solum ipsius possi-



bilitatem, sed etiam presentiam solutio ciborum facta usque ad principia chemica, cui sese adjungit illorum combinatio talis, ut novum corpus exurgat ab ingurgitato cibo diversissimum. Atvero, dum illa fit principiorum chemi-  
corum dissociatio, quousque non pertingit solutionis subtilitas?

Neque vero hanc subtilitatem nova particularum unione aboleri dixeris: ipsum enim fermentationis opus in moleculis suis naturæ opere subtilius fieri probant quæcunque ejus producta, si cum subjectis unde prodeunt illa contuleris.

§. VII.

Concurrunt ad hanc fermentationem, aut quod idem est, ad hanc digestionem nimiam causæ vicinæ omnes, quas supra indicavimus, dum cibus moram nectunt: quoniam autem in loco illud præstant? nimirum in loco calido, diluentibus undique turgido succis, aut saltem madido.

Verum enimvero, quod fermentationem inibi promovere magis videtur, reliquiæ sunt alimentorum variæ indolis, quæ incidunt sensim in corruptionem spontaneam, quæque fermenti instar adjuncta quævis aut deglutita corrumpunt, vel saltem disponunt ad fermentationem quibuscunque propriam.

Alias causas addere juvat: Assiunt enim per pylori angustias succi in viscere suo sæpe jamjam depravati, qui in stomacho nidulantes & congesti in corruptionem liquidis nostris familiarem vertuntur, per haustos cibos brevi diffundendam. Hoc in biliosis hominibus & ad iram pronis non adeo infrequens; eoque magis, si abreptus versus pelvim ventriculus aut umbilicali hernia sensim incarcerationis hos succos in suis depressionibus nidulari permiserit. Numerant aliqui inter solutionis nimix causas alimenta



acriora, solito more plusquam satis ex aromatibus, istis gula irritamentis, condita, aut spirituosus etiam liquoribus nimirum diluta.

§. VIII.

Ex dictis liquet indigestionum divisionem auctoribus acceptam debere pariter a nobis adoptari, illam nimirum que pravas concoctiones in idiopathicas & sympathicas discriminat.

§. IX.

Ast cujuscunque naturæ sint, pravi ex his oriuntur effectus pro earum varietate sane diversi, quorum nonnisi communes hic recensimus, de propriis alias locuturi. Hi autem vel in ventriculo se exhibent, vel in primis viis reliquis, vel ad secundas vias se diffundunt & totum dein corpus labefaciunt.

In ventriculo adest gravitatis præternaturalis sensus, qui autem diu non durat, si laxato pyloro cibaria moles incocta brevi ad intestina transeat: verum cum non descendat statim, perferitur diutius ille sensus gravitatis, & jam cum pectore caput in consensum trahi incipit, illud respiratione impedita, hoc cephalgia fatigandum. Crescunt labentibus horis dira hæc symptomata, tum quia ex alimentis extricatur aer, neque diaphragma potest, ut antea, explicari; tum quia trahuntur in corruptionem spontaneam cibi, & quaquaversum stimulis insolitis laceffunt. Itaque in superioribus cardialgia, ventris inflatio, molestus calor, ructus quicumque pravi, nausea, aliquando & vomitus, alias & singultus regnant.

Vigent per inferiora spasmi, borborigmi, tormina huc illuc errabunda, hypochondriorum tensio molesta, status odore intolerabili sæpe graves; diarrhæa haud raro.



frequentius dysſenteria cum ſæcibus fervidis & acribus; identidem tenesmi. Grave eſt quandoque, vertiginibus laborat, & ut jam innuimus, dolet ita quandoque caput ut videatur in partes diſſolvi.

Qui dolor non levia accipit incrementa, ſi reſorbeatur per lactea vaſa pravus chilus & ſanguineæ moli immiſceatur: hinc exurgit cum ſua ſymptomatum caterva pallida februm cohors; hinc excitantur aut recrudescunt arthritici inſultus; hinc exacerbantur torquentes antea morbi; & ſi fortunatis ægris rebus, talia non ſiant ad minimum crudis ſuccis plenum neque rite enutritum corpus vel in maraſmum incidit, vel in cacochymiam, leſtis tandem omnis generis & acutis ſæpe ægritudinibus excipiendam. Has ſane recensere poſſem omnes: quot autem adeſſent, ſi in hac theſi merum agerem pathologum; ſed alio vela facturo liceat antea nominatis læſionibus acquieſcere.

§. X.

Quæ cum ſint tam numeroſæ, non deerunt proſecto ſigna ad morbum noſtrum detegendum. Præter illa autem quæ ex læſis functionibus eruuntur, alia poſſunt etiam ex prægreſſis trahi atque ex præſentibus, quæ rei veritatem confirmabunt. Cui enim cruditas imminet, ille, ſi certas cruditates fortuito ortas exceperis, ille, ſi paucis jam ante diebus poſt partum gravis eſt, torpet; membrorum laſſitudini comites ſe adjungunt ingenii tarditas, ſomnolentia: ſtatim ac autem periculum excepit mali præſentia; ſqualet os, gravatur ventriculus, tument præcordia: qua re ſola morbum noſtrum adeſſe declarant. Certior fiet adhuc medicus ſi ægrum de prægreſſis, de ſtatu ſuo, ſi adſtantes de ipſius indole, moribus, vitæ genere, velit cum prudentia ſciſcitari: hæc omnia nam-



que multoties morbi naturæ lucem affundunt purissimam, nedum extra omnem dubitationis aleam ponunt.

§. XI.

Res quoad prognosin non ita facilis: poterit tamen certis legibus obstringi: illud enim in genere verum est,

1<sup>o</sup> Indigestiones accidentales non esse æque noxias ac habituales, quamvis & accidentalem plane mortiferam dari posse experientia probaverit.

2<sup>o</sup> Indigestionum dumtaxat lentarum periculum multo minus esse diaphoræ periculo sub qua corrumpuntur cibi & in naturam toti corpori adversam mutantur.

3<sup>o</sup> Idiopathicas videri in genere sympathicis sanabiliore, illis præsertim, quæ ab aliquo viscere pendent vitæ summe necessario & ægre curabili.

4<sup>o</sup> Illas quas vomitus & diarrhæa comitantur faciliorem curam admittere, quam quæ dejectionem nullam comitem habent.

5<sup>o</sup> Minus metuendum esse sanis vel reconvalescentibus quam agris, dum in ejusmodi morbum incidunt: in his siquidem morbus additur morbo, aut presso pede tristis recidiva sequitur.

Nullam tamen indigestionem periculi expertem affirmaverim: versari semper medico debet MENENTI AGRIPPÆ apologus; prospicit enim toti corpori ventriculus; & cum turbatur in suis functionibus provisor, totum pariter corpus exinde damnum accipiat necesse est, pro læsionis intensitate & duratione magis minusve reformidandum. Lassitudo, debilitas, marcor, lenta febris, hæc minima sunt detrimenta, quæ ex cruditatum fonte derivantur.





## §. XII.

Nullum exhaurire medici est, ut inarescant omnes infirmitatum rivuli. Qua autem ratione illud assequetur ut indigestioni medicinam faciat? in genere, naturam imitando, quæ quid præstet videamus.

Ciet vomitum, movet diarrhæam natura, & utramque dejectionem excitando, sæpissime graviora morbi symptomata disturbat.

Curam therapeuticam ab isto agendi tenore non alienam præscribit ars castis principiis instructa; nimirum statim propinari jubet emetica: his præsens in ventriculo saburra discutitur, atque desinit cæteris corporis partibus læsionem minitari.

Quæ vomitum jubet ars, hæc eadem vomitus instrumenta cum sagacitate eligenda suadet: requiritur enim in propinandis emeticis cautela plurima, a qua nemo, nisi cum ægri detrimento, aberraverit. Disquirendus est status ventriculi, num doleat multum, num solo gravitatis vel inflammationis sensu laboret? Variare debent in hoc duplici casu emetica. Ventriculi dolor aut incipientem detegit aut imminentem prælagit inflammationem; quæ autem dato irritante vomitorio non posset non adaugeri. Hujus loci est ad mechanica vomitoria confugere, qualia sunt digiti vel plumule intrusio in œsophagum: his stimulis alibi applicatis trahitur in consensum ventriculus, & sarcina liberatur. Possunt etiam in usum trahi lenia omnino emetica, inter quæ principem sibi vindicant locum olea, butyrum aquæ tepidæ affusum. Hujusmodi remediis utebantur præsci Romani ingurgitatis avibus numidicis nimium graves, ut redirent ad lætiora obsonia, & rursus pleno se auro proluerent.

Nullum a tartaro stibiato, Ipecacuanha, cæterisque stimulantibus, modo prudenter adhibitis, ingruit peri-



culum, si absit inflammatio circa præcordia & adfit sola gravitas.

Verum si vomitus per se oriatur, sufficit aquæ tepidæ compositio.

Cum vires suas exferuere vomitoria, diluitur dein remanens saburra copiosum liquidum hauriendo, vel aquam simplicem hordeatam; vel aquam galli gallinacei, vel pro re nata aliam. Clysmatibus identidem debellatur, quibus irrigantur abdominis interanea, ut die subsequenti catharticis evertatur. Tum aquæ amara propinquantur syrups mixta leniter purgantibus, quæ non tormina ventris adaugere, verum ea potius imminuere consueverunt doloris causam eliminando. Dantur interdum eccoprotica repetitis vicibus, & quatuor diebus a primo cathartico elapsis iterantur, ut quidquid adest in alimentari tubo minus bene concocti & viscosi, quidquid parietes ejus inviscando futuris chyli reabsorptionibus noceret, illud undiquaque discutiatur.

#### §. XIII.

His peractis, alia remedia præscribunt medici pro causarum varietate multum diversa, neque parum numerosa, inter quæ militant diluentia, acida, salina, saponacea, amaricantia, aromatica, theriacalia, terrestria, diuretica, sudorifera. Cum autem hæc omnia non in omnino indigestione conveniant, atque modo his, modo sit aliis locus, ideo his superfedere fatius duxi, usque dum ad indigestionum varietates devenerimus.

#### §. XIV.

In neutra autem a diætæ regulis ægrotus aberrare debet. Ubi igitur pravas omnes cruditatum reliquias extrusa, hoc sollicite cavere debet ne debilis stomachus



nova ejusmodi sarcina denuo ingravescat. Quapropter sensim atque sensim ad cibos redeat, eosque succosos & concoctu faciles, atque nonnisi levem primo eorum quantitatem assumat, per gradus ascendendo, ut cruribus post morbum diuturnum, lento gradu, ita & stomacho suæ vires redeunt. Et quoniam propter hanc rationem crura non debent in suis functionibus statim nimium gravari, sic cibum moderatum stomacho præbeat quilibet ex indigestione resurgens, usque dum muniis suis peragendis sensim robustior evadat.

Optandum esset sane ut alimenta simul medicamentosa propinarentur, præcipue morosis hominibus, quibus cuncta male olent remedia: Illud autem non est extra præscribentis medici potestatem.

§. XV.

Inutilia sæpe sunt hæc omnia in indigestione accidentali: profunt ut plurimum in indigestione habituali, cujus causa hæret in ventriculo. In sympathica vix sunt aliud quid præter palliativa. Curam generalem læsarum functionum cujuscunque visceris stomacho nocentis nemo hic a nobis expectaverit. Quidquid de intricato ejusmodi argumento differere possumus, illud eo redit ut remedia adhibeantur istis fugandis destinata: quæ si felicem habuerint exitum, profecto valebit tritum illud satis in omnibus scientiis adagium; *sublata causa tollitur effectus*: aut si ille adhuc perseveret, tum novis armis oppugnabitur. Quantus autem in hoc stadio labor! quam pauca vincit, licet improbus, quoties cœcutiunt in opere suo medici!

§. XVI.

Huic sectioni finem imponet quaestio diu multumque agitata, num in indigestionibus venæsectioni locus esse possit?  
Si



Si rem ex populi sententia æstimaverit quispiam, illam profecto nunquam celebraverit; clamant enim omnes dum aperitur in hac occasione vena, & vix non admittunt illud quod in febris calore CELSUS, nimirum quod sanguinem tunc temporis mittere, sit hominem jugulare. Liceat tamen ex altiori subfello rem interpretari: quid enim vetat venam secare in plethora valida, febre violenta, stupore somnolento, doloribus acutis, delirio, phrenitide? atqui hæc omnia sæpe indigestionem comitantur. Hinc factum est ut mediam tunc pertundere venam cum exercitatis in arte viris nullatenus hæserit celeb. LIEUTAUDIUS, vir, quem ut admiramur in scriptis, ita & grandi generis humani emolumento sera posteritas in praxi imitabitur.

SECTIO SECUNDA.

DE INDIGESTIONIBUS IN SPECIE.

§. I.

Hætenus de indigestione in genere. Hæc porro in multiplicem specierum furculum se diffundit, quorum unumquemque sumus hac sectione delibaturi.

Ac primo quidem ab illa specie ordiemur sub qua cibi crudi & incocti in intestina devolvuntur vix non sub eadem forma sub qua in stomachum masticata descenderunt. Illam appellabimus indigestionem *luxitatis*. Partim ab ea originem trahit hic morbus quem lenteriam veteres nominavere.

Quot cause lesionem nostram producant; quod inertia, quantitas nimia & viscositas humorum ventriculi; quod magna fibrarum ejus & pyloricarum præsertim relaxatio, aliquando ab ipso nervorum stupore oriunda, huic morbo nostro locum afferant, non est quod dicam: nam-

C





que diu non immorabor in enumerandis, quod jam in genere factum est, indigestionum causis, potius illarum effectus perscrutaturus. Dum igitur indigesta ciborum moles transit ad duodenum, quid inde? aut quæ non imminent œconomia animalis perturbationes! bilis cum succo pancreatico alimentarem massam subigere & in pulvem reducere impos, eam quantumlibet parum mutata dimittit ad intestina tenuia: irritantur hoc inassueto stimulo præter morem, nec illo se expediunt absque dolore, flatibus, borborygmis: ubi vero ad intestina crassa devenit cibus ille rudis, luditur scena eadem; & ruentibus eo liquidis dilutus, tandem laxato ani sphinctere variis vicibus ex interaneis incoctus erumpit.

§. II.

Dum hæc ita se habent, jam patent hujus indigestionis signa, ut ampliori dilucidatione non indigeant. Cibus vix non qua cibus paucis post pastum tempore ex intestinis præcipitatus illam satis superque indigitat.

Illud peculiaris sibi retinere videtur ægritudo nostra, ut in lienteriam tendat, morbum, si ullus unquam, robori & fanitati cum lentore infensissimum. Quid enim ex tot cruditatibus resorberi potest per latea vasa & venas? quid se diffundet in sanguinem ut jacturas corporis restituat? concidant igitur corporis vires necesse est per chyli inopiam, vel debilitentur per pravam & imperfectam, quæ superest, alimentorum assimilationem. Nunquam exers periculi pronunciabitur ille morbus cui marcor, atrophia, tabes, hydrops, & quot alii morbi chronici succedere possunt! nulla tamen ex omnibus huc spectantibus indigestio periculosior ea quam paralyticis generavit; namque videtur mihi insanabilis: de cæterarum huc spectantium cura aliquid dicere juverit.



Scilicet cum nimia humorum quantitas laxavit omnia, & stomachum cum pyloro fecit ciborum oneri ferendo imparem, institui potest sanatio therapeutica. Hoc suadet triplicis quæ hic exurgit indicationis facilitas. Medici est cruda quæ supersunt e primis viis disturbare; humores, quibus obruitur stomachus, alio avertere, atque illum postea roborare. Neque vero opus erit multo negotio ut laborum metam assequatur, si catharticus amaris utatur interdum, quæ in hoc casu præ cæteris indicantur; tum quia, quatenus cathartica liquores nimios ad intestina præcipitant cum crudis; tum quia eorum amarities, qua transit, salutarem illac roborandi vim in recessu quaquaversum dividendo, ventriculum ipsum salutari robore afficit. Catharticus adungi possunt diebus intermediis roborantia ex plantis aut martialibus desumpta, quibus sudorifera addidisse non esset forsitan inutile.

Diæta ex cibus quidem concoctu facilibus constat, assatis autem potius quam elixis, animalibus etiam potius quam vegetabilibus: sed ex hoc quoque ultimo regno desumantur identidem alimenta sapore leviter acerbo prædita, qualia sunt pyra vel cydonia mala; vina rubra, austera præprimis, hic laudanda sunt. In hoc regimine tamen observando illud memori mente tenendum, *ne quid nimis*: etenim alvus subito nimium adstricta morbum morbo adderet. Remediorum tenorem & copiam ipsa læsionis epocha determinabit.

Hac medendi norma Argentinensem puellam indigestione quotidiana cum supradictis symptomatibus laborantem pristinae sanitati restituit LAURENT, facultatis Argentinenfis Doctor, & amicus meus æstimatissimus, cuius hic observationem sisto.

Duo jamjam slabebantur anni ex quo morbus apparere coeperat: levis quidem erat initio, concoquebantur dumtaxat cum lentore cibi, & intra concoctionem gravi-





tatis sensus percipiebatur, quem excipiebant colici dolores non valde molesti. Medicus, qui huic ferebat opem, talia symptomata eccoproticis debellanda existimavit; quapropter singulis septimanis ad minimum semel porrigebantur. Ex hinc omnia ingravescere; dolores exacerbari; ventris & intestinorum inflationem oriri; alvum cum frequenti murmure laxam fieri; quibus malis eccoprotica opposuit medici pertinacia, cum hoc discrimine tamen ut frequentius adhiberentur. Hac agendi constantia orta est illa rerum conversio, ut laxatis ulterius omnibus ipsa alimenta cum entericis liquidis mixta deicerentur plurimis noctu diuque vicibus: aderat debilitas summa cum me accersivit; eaque levi pedum timore satis superque confirmabatur. Statim propinavi purgans cum rhabarbaro; quod die quarta rursus adhibitum est. Interea juscula praescripsi cum vulnerariis herbis; quibus ptisana ex iisdem adjuncta est, frigide epotanda. Minuebantur ita dejectiones, ut quinta die non nisi sexies alvum deposuerit: nulla aderant tormina aut solummodo leviuscula. Dedi pillulas duas singulis diebus deglutiendas, quae constabant ex massa pillularum martialium SYDENHAMI & pillularum de gummi ammoniaco QUERCETANI aequis partibus. Offas panatas addidi; calidum vestitum suasi: caetera continuabantur. Brevi in faecibus nihil crudi apparuit. Animis stimulum addidit hic rerum exitus; quapropter elapsis decem incirca diebus galli gallinacei frustulum manducandum auctor fui: successit & illud prospere. Redibat cum viribus appetitus: frictiones celebrabantur; ambulabat identidem per varias domus contignationes, nec a caeteris remediis abstinebat. Itaque in dies angebantur cibi quos ea cum roboris recuperatione deglutivit, ut antea cessaverint symptomata omnia, & quatuor intra septimanas, mihi gratias actura, domum sese sana contulerit.



## §. III.

Alia datur indigestionis species ab antecedente non adeo diversa quoad ciborum concoctionem, sed multo tumultuosior, sub qua cruda pariter alimenta e ventriculo, sed alia de causa protruduntur. Illam cum ill. LIEVTAUDIO vocabimus indigestionem *intemperantia*. Accidit illa ubi primum ventriculus, quantumvis robustus, nimia ciborum mole gravatur: quæcunque adsint enim in stomacho vires, infirmabuntur omnes, neque opus suum adimplere poterunt. Hinc neque trita satis neque soluta ciborum massa quaqua versum quærit effugium. Sed inter eadem quærit, irritat ventriculum præter morem repletum: sensui cum ponderis circa umbilicum, tum anxietatis in pectore comites sese adjungunt dolor circa præcordia, nausea, ructus, cephalalgia, & quandoque dolores in abdomine stringentes & plane intolerabiles. Vidi hominem temperantia assuetum cui infortunium illud acciderat ut acidulas cum vino & cibus præter morem ingurgitaret. Stratus in lecto, validis adeo exagitabatur torminibus, ut oblitante contra murum pede centies in cubiculi tabulatum sese præcipitasset, miseram lacrimans fortem, ni vigiles amici obstitissent. Adeo dolebat illi abdomen, ut ad tangentis digiti sensum perhorresceret.

Neque liquida vitiosa cibus juncta tot posse mala ex cruditatibus oriunda avertere dixeris: mala siquidem conlociant malis, & coctionem reddunt vitiosiorum. Dum enim pylorum præterlapsa & circulationis torrente abrepta ruunt ad sensorium commune; quantus in toto corpore tumultus! quanta in nervorum origine compressio! ut titubent crura, balbutiat lingua, collabascant undique vires. Quid dabit tum ventriculus? an exinde vires ipsi accrevisse quis asseveraverit?



Tristissimi quandoque ex hac indigestione oriuntur effectus. Visus est alius, disrupto stomacho prope cardiacam, periisse; alius ex hernia ventriculi partim per diaphragma in pectus abrepti. Quot ex apoplexia occubuerunt: qui casus sympathiam cerebrum inter & ventriculum a vasis oriundam, si ullus, confirmare videtur.

Quamquam intemperantes fors adeo dura non semper premit. Vomitu aut diarrhæa aut frequenter utraque indigestiones nostras absolvi quem fugit? ac proinde harum pravos effectus vix secundis viis dividi patet, nisi in primis, propter repletionem plurimam, excitetur saburræ fomes, aut largiori liquorum copia comite lethalis sensorio communi stupor inducatur.

§. IV.

Hominem interrogasse, aliquando videre, aut ipsius mores ad patinam pronos nosse sufficiat ad diagnosim morbi: prognosis vero, licet facilis videatur in certis casibus, plurimi tamen plena periculi. Ejus gradum motus in abdomine convulsivi, dolorum acuties, faciei pallor vel rubor, delirium, stupor capitis, pulsus exilitas aut motus irregularis determinabunt.

Tentabit hujus indigestionis curam medicus natura monstrante viam. Itaque dum vomiturit æger, nisi sit absolute dissimilis, aut multa illum plethora torqueat, adjuvanda sunt emeticis naturæ conamina; & ventriculus potus theiformis copia est irrorandus, ut dilatæ ciborum reliquiæ eo pleniori œsophago possint exturbari.

Eundem in finem trahendi sunt in usum clisteres leniter laxantes: nec vero juvabit parum si per alimentarem tubum suos abstrahat cum quisquiliis dolores incocta ciborum saburra. Verum cum illud toties jam acciderit ut vomitu solo & diætâ reficiantur ægri; cum triste illud exem-



plum nobis reliquerint orbis domitores, qui post demer-  
sas in alvum capacem alimentorum moles, preciosa farcina  
sefe exonerabant ut ad nova gulæ bella redirent; videtur  
illud confectum posse ægros in indigestione nostra vomitu  
solo sæpe curari; huic si diluentia & diætam addideris.

Accidit nihilominus interdum ut v. f. hic omnino re-  
quiratur, adsit vel non adsit ebrietas. Hujus necessitatis  
signa dedimus in priori sectione: dictis lucem purissimam  
affundat magistra rerum experientia.

Avennis in Flandria, sefe crassis cum plurima cere-  
visia cibus ingurgitaverat HOEMAN, rhæticae legionis mi-  
les; vir robustissimi temperamentis, sed moribus ad pati-  
nam pronis: hac vice vomitu torquebatur adeo valido,  
& vehementibus ita motibus convulsivis interdum exagi-  
tabatur, ut ipsi singulo temporis articulo suffocationis pe-  
riculum imminere videretur. Pulsus erat parvus, & iden-  
tidem aberat; vultus nimis multo sanguine ruber, jugu-  
larium venarum tumor, hæmorrhagia narium, & cruenta  
oculorum tumescencia apoplexiam præ foribus indica-  
bant. Itaque venam secari jussi. Qua proportione egre-  
diebatur sanguis, eadem in brachio pulsus revertebatur:  
quo factum est ut magna cruoris copia emissa fuerit, us-  
que ad viginti uncias. Tum vero aquæ tepidæ vim epo-  
tandam curavi, ut reliquam intemperantiæ faburram leni-  
fatis conamine evomeret. Discussa ebrietate, visum est  
corpus quamdam flavedinem induisse, quam non v. se-  
ctioni, sed ipsius hepatis compressioni nimis tribuebam:  
hæc autem absque remediis ullis in pristinum colorem mu-  
tata est b).

b) Hanc observationem mecum communicavit clariss. THIRTON DE  
VERNEUIL, legionis rhæticae *salis* dicte chirurgus primarius &  
meritissimus.



## §. V.

Tertiam indigestionis speciem eam nunc explicemus quæ oritur pariter a nimia ventriculi repletionem, sed fortuita illa & absque intemperantia. Hanc *indigestionem plenitudinis* cum nominato antea illustri viro appellare liceat.

Fortuitam dixi: cujus ad faciliorem intelligentiam duplex assignabo exemplum. Si quis v. g. moderatam panis e furno recenter extracti quantitatem comedat, sit ut plurimum ut illa quantitas, quæ alias non nocuisset, nunc absorptis, veluti spongia, succis gastricis & salivalibus crescat in immensum, ob viscositatem dividi pertinax, atque exitum sibi undiquaque crescendo prohibeat.

Non alius rerum exitus cum massa cibaria fluiditatem cum soliditate commutat. Non raro oritur illud in recens natis, cum lacti materno nimium indulgent, atque ventriculum farciunt acidis jamjam gravem. Coaguli spissioris formam induit liquor maternus, atque sic proprio oblectatur egressui. Nequaquam nocuisset juncta leviori coagulo copia; sed tenacitatem multam induta nihil non molestiarum in tenellulo excitabit.

Et vero quanta exinde in ventriculo distentio, irritatio quanta! ut impotentiam vomendi taceam, quæ inutili desiderio & conatibus irritis sociata fit miserorum triste supplicium. Quanta pariter viscerum hinc inde vicinorum compressio, & ex compressione evacuatio, infarctus aut proxima ad inflammationem dispositio! quanta insuper in pectore anxietas, dum subsidere & explicari impossibile diaphragma, purpureum sistit in pulmone rorem, & anhelosam respirationem cum suspiriis inducit! quanta in capite interno gravedo! in externo turgescencia! in toto corpore jaectatio convulsiva! quot in uno morbo & quam pravi effectus tumultuantur!

## §. VI.



§. VI.

Assumpta sola darent morbi indicium, si semper ad-  
esset in ægro loquelæ facultas aut præsens animus. Cum  
autem aliis nondum habilis sit eloquio lingua & mentian-  
tur nutrices; alii delirent, convellantur, aut interrogati  
præbeant aures præ nimio sanguine surdas; hinc fit ut ad  
tactum confugere medicus teneatur tanquam ad sacram  
anchoram. Exercetur porro tactus circa regionem epiga-  
stricam, atque inibi deprehensus tumor circumscriptus &  
digitum cum dolore refugiens, morbum nostrum satis su-  
perque indicabit. De cætero abesse debent herniæ umbi-  
lialis symptomata.

Est casus ille, non dicam expers, sed summi plenus  
discriminis. Variat tamen illius intensitas pro assumptor-  
um copia & tenacitate, atque symptomatum vi numerosa.

Vidit anno 1777 supra citatus Medicinæ Doctor LAU-  
RENT Dominum c), quem vix non omnes adstantes brevi  
morituum credebant; adeo metuenda videbantur sympto-  
mata. Jacebat in lecto velut stipes; huic sudor a capite &  
facie defluebat plurimus; lacrymantes interdum torquebat  
oculos: responsum dabat nemini, nec nisi nomen mulie-  
ris interea mussitabat: modo cita erat respiratio, modo  
silebat: pulsus aderat exilis, sæpe intermittens, frequens  
tendinum subsultus: lectum jamjam circumdederat vicino-  
rum, chirurgorum & sacerdotum turba; cum accedens  
ad ægrum, laxari jussit statim vestimenta: investigavit  
omnia, & manum epigastrio admovendo, subilire ho-  
minem præ dolore vidit: repetito tentamine rediit idem  
doloris signum. Audivit ab adstantibus sobrium quidem  
esse virum, sed cruditatibus, quas jamjam suspicabatur  
obnoxium: hinc curationem indigestioni nostræ propriam

c) Cerevisiam recentem, cui erat inassuetus, forte fortuna cum  
pane recens e furno extracto potaverat.

D





adminiftrando, a cæteris terrorem, ab ægro morbum brevi depulit.

Hæc autem cura aliquid habet, quo certe ab aliis discrepat. Neque enim clysteres hic aliquid præftare videntur, licet injici curentur a multis, niſi in quantum veluti balneum dolenti ftomacho applicantur per coli curvaturam: Quid enim aliud præftarent, cum vel ipſa pulſ incocta e ftomacho nondum prolapſa fuerit. Quoniam autem prodeſſe poterunt tanquam fomenta, ideo etiam in hac occaſione epithemata calida emollientia ſuaderem epigaſtrio admovenda, ne irritatus prætermodum ventriculus convellatur nimium aut inflammetur.

Remediis externis adjungenda ſunt interna ejusmodi, quæ cibos in ventriculo contentos macerent juxta ipſorum naturam, tum diluentia calida quæ relaxent pylori & cardię ſedem; tum ſaponacea quæ cibariam molem reſolvant; & ſi videantur ſtimuli, mitiores licet, ferri alio & propagari; tunc cathartica ſecure, & emetica forſan bonis ægri rebus in uſum vocabuntur.

Deſerebatur in noſocomium Argentinenſe eques cataphractus corſicæ legionis, natione Burgundus, cui illud familiare erat, ut indigeſtione vix non lethali corripere-  
retur, quoties recentem cum cereviſia panem comederat. Illud triſte fatum ignorabant medici, cum ad lectum ejus accedentes videbant eum motibus convulſivis, mirum quantum validis, identidem corripri; diaphragmate ſuperiora verſus retracto epigaſtrium prolabi, atque contortis huc illuc oculis intermiſſionem pulſus identidem conſociari: verum neque cauſam tot malorum noverant neque poterant ab ægro ſciſcitari. Secta vena cum diſcuteretur ſymptomatum viſ & linguæ loquela rediret, anteaſta revelavit, & eccoprotico atque diæta ſubſequenti brevi ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt.

Venæſectionem in noſtro caſu aſſignatis remediis aliquando adjungendam probat prædicta obſervatio.



§. VII.

In quarta indigestionis specie vix etiam resolvuntur alimenta, quantumlibet minima dosi assumantur, quoniam impar fit coctioni faciendæ ventriculus, propter debilitatem accidentariam. Novæ huic læsioni imponemus nomen indigestionis *ad vires*.

Suffocantur porro illæ ventriculi vires quibuscumque morbis universalibus, acutis vel chronicis, externis vel internis, quæ totam corporis compagem adoriuntur, sive febrem habuerint comitem, sive ea destituantur. Dum enim istis morbis vigentibus crura munus suum ex sequi renunt, quis tunc stomachum existimaverit muniis suis exequendis potiore?

Neque etiam solis universalibus morbis hæc impotentia debetur: præterquam enim quod peculiare ventriculi morbi, quales sunt inflammatio, vulnus, ulcus, hanc in concoquendo debilitatem producerent, ipsi etiam morbi, qui partem ab epigastrio remotissimam aggrediuntur, vel soli possunt huic ortum conciliare. Narrat BOERHAAVIUS famelicum hominem, dum in cauponam præcipitanter nimis ingrediebatur, talem passum fuisse pedis luxationem, ut miram, qua torquebatur, famem exceperit universalis ciborum horror. Videntur quotidie homines quorum, fortuito vulnere capiti inflicto, cadit subito appetitus: tantum potest in casibus istis ventriculi cum capite sympathia! miros tum se prodidisse effectus & morborum varietatem sequentes non est quod loquar: utinam istorum intensitatem mors sexcentis vicibus non exceperisset!

§. VIII.

Diagnosin nunquam esset operosa si loqui semper aut vellet aut posset æger: at si deliret vel stupeat, quæ superest ratio morbum investigandi? an tactu? an dolori-





bus abdominis vel epigastrii? an ructibus, nausea, flatibus, diarrhæa? an acutis in universum morborum symptomatibus? an, si cessaverit antea morbus, ipsorum recrudescencia? an squalida lingua & impastata? nisi fiat per aditantes, forsan per ista omnia fiet lux. At vero quacunque ratione fiat, periculum semper indicabit. Hinc enim vel minimum illud imminet, aucta nimirum ventriculi debilitas cum diversis primarum viarum læsionibus, ita ut nascatur in eis sensim sensimque saburra, verus morborum fomes, secundis viis amplam febrium segetem daturus.

Visa sunt autem exinde periculosiora mala fluxisse. Periiit Argentinæ legionis condecæ miles, cui pectus gladii ictu transfossam jam conferruminabatur, eo quod devorato pane nec concocto labia vulneris in pulmone divulsa sunt. Periiit alius ex cohorte pictonica, qui tertia die pleuritidis assumpto purgante optime se habebat; simulac cibum sumplit incautus, recruduit dolor lateris cum ea vehementia, ut intra sex horas patres adierit. Obiit tertius ascite laborans, ex legione Suecica, qui detumescite idonea cura abdomine existimavit se salvum, atque propterea cum botulis pane se ingurgitavit; hæc fuit ultima cœna; hunc funestissima diarrhæa cum delirio jugulaverunt. Mortuus est quartus ex cohorte arverna, cui variolæ incipiebant subsidere hac illac aut exsiccare: postulabat ut ministrarentur cibi; negabantur a medico: dedit manus mercenaria; quid tum? mox aucta est febris cum exacerbationibus validissimis; capitis & pectoris penetralia occupavit materies variolosa; deliravit, anhelus respiravit pulmone, & duos intra dies phreneticus occubuit. Non desinerem ego ipse, non desinerent practici si exurgentes hominum strages ex indigestione ad vires aut enarrarent aut describerent.

Videamus tamen num possit curari, & qua via? illud satis certum est hanc sanationem non easdem requi-



reere cautelas prophylacticas quas in aliis speciebus exigit, quoniam redit statim æger ad dietam, usque dum, recuperato corporis robore, suæ pariter stomacho vires restituantur. Quod autem curam therapeuticam attinet, præcipuum in eo consistere videtur, ut indigestionis reliquæ eliminentur. Sæpissime autem ferius advolat ars medica: at si sat cito, & vetet occasio dari emetica, tunc ad clysteres & cathartica confugiendum: quæ ultima ægrotantium statui & temperamento debent accomodari.

Multoties interea fit, ut ad secundas vias delatus jamjam chylus morbum adauxerit, symptomata produxerit accidentaria, & quæ adsunt intensiora reddiderit. Tum ad morbi indicationem dirigat medicus sanationem suam oportet: quæ, quoniam multiplex, hujus loci esse nequit, ne omnem exhaurire therapeuticam in casu peculiari velimus. Immo vix non semper inutilis, nullibi debet collocari.

Afcite laborabat miles quidam ex legione Lugdunensi, nomine *la Pierre*: vicinum ejus lecto militem e morbo convalescentem inviserat mater, cui e nosocomio militari egressuro scriblitas attulerat. Dapis insolitæ cupidus hydrodrops sex exoravit a generosa muliere & exoratas confestim devoravit. Quanta rerum conversio! qui optime se habebat antea ut salutem citam speraret, in vitæ desperationem mox incidit. Et vero diris pectoris anxietatibus adeo torquebatur ut singulo temporis articulo ultimus halitus faucibus hæreret. Sedebat in lecto ut respiratio fieret facilior: ast mutatio situs in statu vix quidquam mutabat. Aucta oxymellis scillitici dosi cum non remitterent symptomata, potio hydragoga præscribebatur cujus haustum ipsa mors remediis terreri nescia antecessit.

§. IX.

Potest in casibus supra assignatis, potest etiam absque





illis oriri quinta indigestionis species quam *viscosam* nominabimus. Non raro torquet illos qui glutinosi nimium alimentis indulgent, præsertim si temperamentum eorum ad phlegmaticum vergat. Nimia in istius temperiei hominibus solidorum laxitas, sicuti mucosam humorum materiem non satis conquassat, atque in organis secretoriis catarrhales fluxus producit, ita nimium parit mucum & illum ad numerosas ventriculi glandulas ejusdem nominis amandat. Quod malum etsi non tam alte derivaretur, quoniam multa scatent mucilagine farinosa, & multo glutine gelatinosa quibus uti pro more habent; ideo viscosi illi succi in laxo juxta temperiem stomacho evoluti morantur hic illic intra ejus plicas; viscum addunt visco, & parietibus hujus visceris glareosum quasi vernicem inducunt, quo vix non tota aboletur illius sensibilitas & digerendi vis obruitur.

Ante autem quam pravus ille effectus oriat, comedunt interim, sed absque appetitu; gravatur magis atque magis ventriculus; crescit in dies farcina mucî, qui etiam ad intestina descendendo inibi pariter congeritur: inviscatur succus pancreaticus, tarda fit alvus, iners evadit stomachus, hunc licet concutiant identidem nausea & glutinis vomitus; generantur sæpe vermes in blandulo nido quem dedere alimenta; & si mucî pars inviscatis mesenterii glandulis ad secundas vias proserpat, ut fieri necesse est ad aliqualem nutritionem, dividitur toti corpori cacochymia; viget in toto illius habitu tumor pallidulus; adest ubique in solidis inertia, & languet fluidorum male concoctorum circuitus.

## §. X.

Quæ omnia inappetentiæ & vomitui mucoso sociata vel cœcutientem medicum ad morbi nostri cognitionem



perducerent: præsertim si ægrum sciscitetur de assumptorum antea alimentorum natura & indole.

Status ille indigestionis cum non sit neque fortuitus neque subitus, sed oriundus sensim & labente tempore confirmatus, non potest non multas toti œconomie noxas distribuere. Cum autem lente invehantur, ad chronicos potius morbos quam ad acutos eas tendere quis non videat? ergo infarctus viscerum, obstructions, vitiatas paulatim in organis se- & excretiones exinde expectaveris. Cum tamen tantus sit ventriculi cum pulmone & capite consensus; hinc qui debili utroque viscere laborant, quemadmodum in asthma & gravedines, ita in catarrhos suffocativos & apoplexias ferofas brevi lethales incidere posse nemo inficias ibit. Cohors tamen chronicorum acutos morbos semper superabit.

Tot malorum fontem scaturientem ab ipsa origine exhaurire juvat, & ventriculo prospicere. Quapropter emetica suadentur & cathartica, prægresso aquarum mineralium & præsertim martialium usu plurimo: his pro re nata repetitis disturbatur tota mucii faburra, exonerantur ventriculi plicæ, exonerantur intestina, & sua primis viis munditia redit. Tuenda autem est restituta robore: quapropter roborantia, præprimis amara, aromatica, subadstringentia, tonica ex martialium classe desumpta dantur oportet, quæ humorum torrenti divisa pariter ut stomacho, distribuent hæc cohæsiorem cum fluiditate, illac tonum cum viribus, & eadem fidelia duos parietes dealbabunt.

Dietam non moror anteaactæ oppositam, & ad unam considerationem propero, nimirum non posse semper hæc omnia remedia pro medici lubitu propinari.

Viscosa indigestione laborabat domina . . . . . cujus curam gerebat amicus qui nominari noluit. Imploraverat antea opem medici, qui de manifesta qua angebatur pul-

silid





monis debilitate nunquam sollicitus. ægræ amaras aquas præscripserat. Hinc mucum in primis viis attenuando tussim validam, anxietatem, capitis dolores intolerandos, febrim vehementem & vix non mortem ipsam acciverat. Celebrata v. sectione, eccoproto leni dato, & bechicis statim adhibitis subsedere omnia symptomata: sed mucum vomebat quotidie mulier: quamobrem ipecacuanha præscribatur tali cum successu, ut infusis vulnerariis propter pectoris debilitatem tepide haustis, pulvere rhabbari, theriacæ pauxillo, vino rubro, alimentis austeriusculis & concoctu non difficilibus ipsam tandem pristinae sanitati reddiderit.

§. XI.

Atque ita transeo ad indigestionem *amaram* & *rancidam*, quæ sexta species, suis manifesta characteribus, fuisset forsân aptiori nomine insignienda. Cæterum nomina rerum non curamus.

In hoc errarunt errantque multi quod bilem duodeno refluxam semper tanquam hujus indigestionis causam reputent: quod etsi aliquoties eveniat, nequaquam tamen semper fieri vel ex hoc patet quod homines hepate obstructo laborantes morbus noster aggrediatur. Quam etiam ob causam alimenta oleosa frixa, nimia quantitate assumpta morbum nostrum non producerent? amarescunt enim quæcunque sunt frixa nimis, quoniam illuc perducta est coctio ut succi oleosi validiorem ignis gradum passi empyreuma contrahant. Si igitur extracti per vim digerentem horum alimentorum succi morentur adhuc in ventriculo cum indigestis reliquiis; illos mora magis adhuc rancescere quem in chemicis exercitatum fugit? qui deinde ventriculi parietibus appressi si ad superiora obrepant, linguam inficiunt colore flavo; & si regurgitent, bilis



bilis alias evomendæ speciem præ se ferunt. Illud in scriptis  
suis jamjam innuerat sagax Helmontius.

Non accidit illa indigestio absque torminosis multum  
symptomatibus: quorum historiam post illustrem GAU-  
BRUM si traderem, aut haberer merito præidentis animi  
homo vel plagiarius, adeo nitida est ab initio ad finem  
tota quanta. Inter omnia hæc symptomata nullum est  
quod adeo torqueat ac illa fitis intensa, igniferis ut ita  
dicam ructibus conspicua, quam aqua sola restringere  
tentant multi, sed incassum; fierent enim potius TANTALI,  
quoniam quo plus aquæ bibunt, eo sitiunt ardentius.

§. XII.

Ita fit ut hæc species indigestionis nullum latere possit:  
hoc enim symptoma prædictum spississimam quamvis cali-  
ginem discuteret, etsi neque de cibis antea sumptis ægrum  
interrogasset medicus, neque oris flavedinem consideras-  
set: in nulla enim indigestionis specie fitis adeo dura premit.

Porro si a mero accidente oriunda fit, neque fuerit oleo-  
sis cibis nimium assumptis sensim inducta; vix adest pericu-  
lum; modo rancidus humor ad secundas vias nondum pe-  
netraverit, aut etiam extra stomachum diu multumque non  
fuerit vagatus: secus enim si acciderit, quæ tormina, quan-  
tus ardor inferetur intestinis, quantus inducetur fervor  
humoribus! ut periculosa quæque liceat vereri.

Satius est illa posse prævertere, aut, si sese exhibue-  
rint, debellare nosse. Qua ratione? postulas: nempe eva-  
cuando, & diluendo. Immo in hoc casu primum lo-  
cum evacuantibus adscribendum esse contendunt aucto-  
res primi subfellii. Quod si bilis versus stomachum reflua  
amaram saburram concitando ejus visceris functiones tur-  
baverit, emetica suadent statim, quibus pro re nata succe-  
dere debent purgantia. Ne vero massa biliosa, quæ cathar-





ticorum potentia se subtrahit, suum adhuc rancorem ulteriori corruptione adaugeat, interponi debent istis remediis acida e salibus essentialibus petita vel & mineralibus, usque dum illa ablata, nova ex jecore profluat fluidior, neque propter longiorem in ventriculo moram rursus corrumpenda.

Quando cibus oleosis nimium frixis debetur morbus, non sola dominatur in ore amarities, sed igniferi ructus fitim accendunt: quapropter aquam hauriunt ægri ore indefesso, ut naturæ diluentia exposcenti morem gerant. Verum aquæ non cedit fitis illa, quoniam oleosis misceri aqua renuit: saponacea igitur aut mucilaginoso dissolvantur in illa, oportet, ut jugis ardor temperari possit. Sic diluitur oleorum ranciditas, & irritans acrimonia emulsis suffocatur.

Num hic evacuantibus locus? ipsa medici prudentia, residuis symptomatibus innixa statuat. Abstinit illis nuper unus ex amicis quem mane visitabam: pisciculos quosdam in butiro frixos contra morem in hesternæ cœna comederat. Neque vero hanc insolitam cupidiam secuta claudo pede poena fuit: tota nocte irrequietus, fervidis ructibus agitated, capite dolens, plusquam sex aquæ libras hauserat incassum: nam quæ imminui videbatur fitis pro tempore, statim de novo irritabatur, ut ipsam, cum adveni, nondum explere potuisset. Sumpsit potionem hordeatam, suadente me; quo solo factum est ut immoderatum bibendi desiderium cum adjunctis symptomatibus caderet. Accessit lenis sopor qui per omnia membra currendo cunctas cœnæ noctisque jacturas reparavit.

§. XIII.

Descendo ad indigestionem *acidam*, illis familiarem qui, debili quamvis stomacho, vegetabilibus sese cibus ingurgitant: hos pythagoreos dixere. Potest nihilominus



quavis in hanc incidere, si inassueto ventriculo cibos ejus naturæ semel nimia quantitate manducaverit. Quoniam enim consueta, licet pejora, ut cum medicinæ parente loquar, facilius digeruntur inassuetis, quamvis melioribus; exinde fit ut remaneant in digestionis organo reliquiæ, quæ calore ambientium viscerum fotæ, & succo dilutæ gastrico, abeunt in corruptionem spontaneam: verum corruptio, vegetabilibus propria, acida est, si quædam exceperis. Facile intelliget quavis non posse in hoc casu alimentorum viscositatem accusari aut ad ejus præsentiam concludi; siquidem sub ipso fermentationis actu non aggregativæ solum discerpuntur moleculæ; verum ad ipsas integrantes mixti particulas descendit divisio, & corpus in ventriculo hospitans in sua principia dissolvitur, ut novam principiorum unionem & naturam induat. Hanc igitur indigestionis speciem ad nimiam solutionem, quemadmodum sequentem, jure merito retuleris.

Probant nihilominus pericula quædam, theoriæ in hoc opposita, non omnia vegetabilia sub eadem vice assumpta eo usque resolvi. Amicum vidi, indigestione acida laborantem, qui quædam evomebat vegetabilium frusta, digerentibus succis intacta, licet e stomacho rejecta merum & evidens acidum redolerent. Loquimur ergo a potiori, dum istam divisionem in omnibus frustulis tanquam necessariam assumimus.

Non fit illa nisi evolvatur aër, & acidum oriatur; duplex pravorum effectuum origo: etenim exclusus aër, acidis præcipue particulis volatilibus foetus, irritat partes in quibus excluditur: hinc dolores ventriculi & intestinorum; spasmi utrobique; uno verbo morborum effectus antea descripti: hinc bilis viror & enervata vis, ut ipsæmet fæces virore pariter inficiantur. Frequenter accidit illud tenellulis infantibus, qui eodem tempore sudorem acidum fundunt. Sudor ille acida posse ad secundas vias





diffundi, cor nimium stimulare, sanguinis massam dissolvere, febres cum cutis rubore exanthematosas producere confirmat extra omnem dubitationis aleam.

Attamen ille acidorum transitus non est ubique possibilis. Arcet illum indigestio acida ejusmodi, cum austeri & acerbi fructus nimia fuere copia deglutiti. Nascitur tum succus cum aciditate acerbus qui, frictis lacteis vasis & systemate glandularum mesenterii obstructo, præpedit sibi viam ad interanea. & suam in primis viis tragediam ludit dolores algentes excitando & pertinaciam alvi vix referendam.

§. XIV.

Dat peculiaris ille dolor cum alvo obstructa & macie corporis subsequente signum austeri chyli ex indigestione acida acerba exurgentis. De cætero facile est agrum sciscitari num stomacho valeat, & quibusnam cibis ante morbum indusserit.

Par ratio est cum indigestione acida simplici, quam acidi ructus medici adstantis olfactui satis superque detegunt: immo ipsam agrotantis atmosphæram, præsertim si cubiculum aer novus non subeat, rem satis indicare nemo inficiabitur, qui his agris aliquandiu adstiterit.

Variat in hac specie pro chyli natura malum; & quamvis molestum sit satis dolores colicos, cardialgias, ructus pati. aut febres cum pruritu exanthematicas; illud tamen molestius est adhuc frigus vehemens experiri medio in abdomine, neque suas in media abundantia jacturas reparare posse; id est, si victus ille diu continuatus fuerit, lente emori.

Principiis obstandum, atque indigestio nostra in origine curanda est. Præmissis itaque remediis generalibus, diluentia præscribuntur a plerisque medicis. At cum videantur in genere & absque limitibus suaderi, de his pauca quædam cum grano salis dicere juverit.

De diluentibus nihil est quod differam, si aquam puram vel certis roborantibus fortam intellexeris. At vero diluit vinum, diluit acetum, diluunt fermentati liquores alii, si sint tenues: quis vinum, acetum, spiritum vini in hac indigestione sumendum asseveraverit? Ad diluentium igitur indolem attendendum: quapropter aquæ amaro sale divites, & præsertim alkalinae possunt in hac occasione suaderi; quibus rhabarbarum, Chinæ corticem, martialia summo cum fructu addideris. Contradicere sibi videntur qui exclusis quibuscumque spirituosis elixiria proponunt: At si dentur, versus finem morbi debent propinari.

Vix alia ratione se gerendum in indigestione ex acerbis fructibus oriunda. Attamen illud cavendum est ne absorbentia, quæ dantur in mera ciborum aciditate, tum tribuantur agris, cum prægressa est ali-



mentorum austera indoles: fringunt enim austera, propter nimiam terræ quantitatem præsertim, quæ absorbentibus terris adhuc aucta symptomatum intensitatem potius promoveret. Absorbentium terrestrium loco dentur alkalini sales, & cum diluentibus amara præferantur.

Diætam in utraque læsione mutandam vix monere opus est. Hac sola cautela vidi morbum nostrum brevi in sanitatem mutari. Torquebatur illo vir artis peritus, statim ac renetia mala manducaverat; cætera acida nihil dabant mali: quodque mirum, si in prima mensa sumpsisset ea in cibum, ut in secunda sumere moris est, nihilo fecius, cæteris rite coctis, mala sua duobus incirca post pastum horis omnino cruda revomebat. Tentatis remediis cum res in melius non succederet, ab iis abstinendum ratus, ejuravit poma, cætera acida capit in cibum, neque vel minimum cruditatis sensum ulterius experitur.

In transfennam illud notabimus, quod in hac observatione pateat idiolychnasiam indigestionibus locum dare posse.

§. XV.

Specierum diversarum seriem terminabit indigestio *nidorosa*, pessima sane & vix aliarum cuiquam comparabilis. Nidorosa dicitur ideo quoniam erumpunt sub ea ructus ovorum putrescentium nidorem referentes.

Neque vero mirum illud videri debet, cum putrefactis in stomacho cibis naturæ animalis aut ejus naturæ succis debeatur. Atvero, quidquid contra jactitent plurimi, potest etiam bilis morbo nostro ansam dedisse, si in stomachum refluxa, inibi nimium nidulata fuerit: etenim corruptionem illam subit quam animalia quæcunque corpora: quoniam nullum tale corpus tam cito posse corrumpi demonstrat sectio cadaverum. Hoc idem in certis adhuc febribus animadvertimus, quæ mitem suam indolem primo tempore cum pessima commutant propter hanc causam, quia bilis refluxa in alkalescentem degeneravit. Vidi etiam hac indigestione correptos qui maceratis nimio opere carnibus antea vescantur.

Cæterum undecunque fluat, hanc cum capitis & ventriculi gravitate comitantur ructus nidorosi & alvus foetidissima. Proprium etiam huic morbo viderur quod ipsum quasi prosterнат appetitum, dum sitim intensissimam procreat; aut si quid tandem appetant ægri, horrent carnes & aliud nihil nisi acida poscunt. Orta pariter virium dejectio nulli indigestionum magis observabilis.





Inde pronum est signa hujus morbi characteristica eruere.

Patebit pariter indigestionem nostram in mortem posse terminari. Quoniam autem id non semper eveniat, quoniam tum e primis viis ad secundas vel nulla omnino vel pauca gliscuit mephitis; summa tamen sunt in hoc morbo discrimina; ita ut si quid auxilii exposulet ab arte natura, hic certe requiratur. Non potest sola motibus suis pravas reliquias subigere, quemadmodum potuit multoties in indigestione mere acida; & quo plus subigere tentat in casu nostro, eo citius ruit in hominis perniciem. Igitur in curando mora nulla debet afferri; atque cum putrescenti faburræ ingressum ad secundas vias arcere summi sit momenti, ideo qua data porta ruere potest, ea statim disturbanda remediis generalibus pro re nata repetendis. Quæ sint intereadum danda paucis dicam; nempe si ullibi, hic valere debet axioma, *contraria contrariis curantur*. Itaque liquores acidi præferbantur, qui corrigant reliquias, vel limonadæ aut tamarindorum potus cum lactis sero; quæ sapore vinoso gaudent aquæ minerales injungantur; dentur etiam amara & subaromatica quæ roborant, & dejectas a putredine vires restitunt, nisi tum febris adfuerit.

Dietam vinosam præscripsit olim in nostro casu cel. HOFMANNUS; quæ versus morbi nostri finem nescio annon debeat cæteris anteponi. Cum autem illa stomacho robur suum reddiderit, cibis vegetabilibus sensim atque sensim dosi auctis semper societur.

Salubria plurimis hæc consilia mors sæpe elusit. Æger, natione Alsata, post comestam nimia quantitate carnem in delirium incidit. Quoniam autem mali causa non ignorabatur, ideo emeticum propinabatur statim, quod catharticum brevi excepit. Cum mitescere videretur morbus, in solis acidis ægri salutem quarendam censuit medicus, hisque oxymel scilliticum interdum admiscebat, ut tum primas vias teneret laxas, tum obstructions quas in cerebri vasibus supponebat tollendo delirii reliquias discuteret: utinam mature venam secuisset! quid multa? dum tenuis spes lactabat eum, naturam & artem vicit mors omnibus superior; aucta est pulsus exilitas; delirio successit sopor cum subsultu tendinum, & æternus sopori finis.

TANTUM.





VD 18

**ULB Halle**

3


007 470 061











Q. D. B. V.  
ERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
15  
DIGESTIONIBUS  
QUAM  
MI NUMINIS AUSPICIO  
ET  
OSI MEDICORUM ORDINIS  
CONSENSU  
RO LICENTIA  
ADUM, HONORES ET PRIVILEGIA  
DICINÆ DOCTORIS  
RITE IMPETRANDI  
SOLENNITER DEFENDET  
OBUS ROUSSEL  
AUSSONNENSIS, IN DUCATU BURGUNDIÆ.  
E VII. MAJI MDCCLXXIX.  
H. L. Q. C.

ARGENTORATI  
HANNIS HENRICI HEITZII Univerſitatis Typographi.